Sibbald

2

THESES THEOLOGICAE,

DE PRIMATV B. PETRI,

Quàs propitio numine,

PRÆSIDE IOANNE FORBESIO,

S. S. Theologiæ Doctore, & publico ejuſdem in veteri ACADEMIA ABREDONENSI PROFESSORE;

Ibidem pro S. S. Theologiæ Bacchalaureatu conſequendo *propugnabit* IACOBVS SIBBALDVS, ECCLESIASTES ABREDONENSIS:

Kal. Auguſti, ab Aurora in Meridiem.

ABREDONIAE,
Excudit Edvardus Rabanus,
Cum Privilegio, Anno 1627.

AMPLISSIMO,

&

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI,

PATRICIO,

EPISCOPO ABREDONENSI,

SANCTIORIS CONSILII SCOTICANI SENATORI PRVDENTISSIMO;

DOMINO à CORSE, &c.

Domino & Mecœnati suo plurimùm honorando,

Hæc amantis & grati animi pignus
dedicat consecratque

IACOBVS SIBBALDVS.

THESES THEOLOGICÆ,
De Primatu B. *PETRI.*

THES. I.

Primatus alius est jurisdictionis & potestatis, alius ordinis & honoris: ille est, quo quis, ministerii actus alteri non omnino, vel non absq; superioris consensu competentes potest exercere, inq; eisdem peragendis alios limitare, restringere, & impedire: hic vero est ratione cujus prima sedes, primæq; in agendis, æqualium convocatio, inq; cœtibus convocatis vox prima, moderatio, dicendorum directio, promulgatio conclusionis latæ ultro deferuntur.

2. B. Petro, *personales quædam prærogativæ ætas nimirum, vocationis ordo, virtutum, præsertim charitatis & fervoris excellentia, hunc primatum & præeminentiam dedere, ut eo-apostolis dignitate præcederet, primas in agendis dicendisque frequenter ferret consortibus cæteris, ceu inter fratres primogenitum, inter milites antesignanum, inter domesticos generalem procuratorem publicam omnium causam agere cupientibus, aut agentem audientibus libenter. inde* Petro *passim adscripta principis Apostolorum, capitis, verticis, Coriphæi, &c. Elogia in patrum monumentis.*

3. *Potestas & jurisdictio, quam eidem in reliquos duodecemviros,* Romanenses *in* Romani *Pontificis gratiam adscribunt nulla fuit. Quippe cunctis Apostolis summam, & plenissimam potestatem*

CHRISTVS Dominus conceſſit Ioannis 20. 21. *Sicut pater miſit me, ita & ego mitto vos, fatente cum aliis* Bellarmino, *Lib.* 4. *de* Rom. *Pont. Cap.* 23. *ſumma autem poteſtate præditi ſunt æquales: æqualium nullus in alterum Iuriſdictione pollet.*

4. *Si cum* Cardinale Bellarmino, *Lib.* 1. *de* Roman. *Pont. Cap.* 12. *dixeris pares fuiſſe omnes Apoſtolos in ordine ad populum, inque omnes eandem omnino autoritatem habuiſſe, inter ſe tamen diſpares fuiſſe, quæro, inter ſe, an eadem ratione, an alia quam qua ad Eccleſiam collati erant, conferantur? aliam quæ à propoſito non ſit aliena nemo monſtrabit: illa inter ſe etiam collatos, æquales nemo negaverit niſi principium illud naturæ lumine manifeſtum,* Quæcunque ſunt alicui tertio æqualia ea ſunt æqualia inter ſe, *in dubium velit revocare.*

5. *Nec minus ineptum eſt illud* Cajetani *Apoſtolos, qua erant Apoſtoli fuiſſe æquales, ſed qua Oves* Petro *fuiſſe inferiores, licet erudite dictum hoc arbitretur* Gregor. de Valent. tom. 3. diſp. 1. q. 1. de objecto fidei, punct. 7. §. 28. *Si enim Apoſtoli qua Paſtores* Petro *ſubjecti non erant evaneſcit Monarchia, & ſi qua Oves ſubditi, certe* Petro *ratione Apoſtolatus commiſſi ſunt qui cum ſit in omnibus idem, non minus* Petrus *qua Ovis reliquis Apoſtolis ſubjicietur, neque enim quiſquam tam habes eſt ut in* Petro *non poſſit Apoſtolatum & ovem diſtinguere.*

6. *Pari vanitate ſubtilis Cardinalis comminiſcitur Apoſtolis omnibus poteſtatem ordinis & juriſdictionis à* Petro *via ordinaria (ut ille loquitur) derivandam à CHRISTO conceſſam ex gratia prævoniente. Vbi quæſo CHRISTVS dominus indicavit ſe ex prævenienti gratia* Cajetani *Apoſtolos ad Apoſtolatum evexiſſe, qui via ordinaria erant per* Petrum *efferendi? Cur non officii admonuit, ut* Petrum *caput viſibile agnoſcerent? Vbi tandem* Petrus *ſublata jam iſtius prævention is neceſſitate ordinaria hac autoritate in creandis novis Apoſtolis utitur?*

7. *An non*

7. *An non commentum hoc* CHRISTUM *fingit aperte* Petro *illudentem? ſi enim totius orbis cura ſoli* Petro *demandata, nec duodecim pari poteſtate in Eccleſia regenda inſtructos induxat, quid hoc quæſo aliud quam colluto manere illum fruſtrari?*

8. *Quid? quod cæteri Apoſtoli Eccleſias fundarunt, inque fundatis longe lateque per orbem fatente* Bellarmino l. 1. de Rom. Pont. c. 23. *Epiſcopos crearunt qui ad* B. Petrum *autoritatem ab eo derivaturi nunquam ſe contulerunt: nec obſtat fatile Cardinalium* Turrecrematæ *&* Bellarmini *figmentum Apoſtolos ſcilicet à* B. Petro *Epiſcopos fuiſſe ordinatos: ipſe enim* Bellarm. l. 4. de Rom. pont. cap. 23. *in Apoſtolica poteſtate omnem Eccleſiaſticam contineri fatetur, & quis non liquidò cernit* CHRISTUM *Apoſtolis omnem Eccleſiaſticum actum exercendi facultatem contuliſſe? poteſtatem prædicandi, baptizandi* Matth. 28. 19. *Euchariſtiam conficiendi* Luc. 22. 19. *poteſtatem clavium, ligandi, ſolvendi, remittendi peccata.* Ioan. 20.

9. *Abſurdum* Gregor. de Valen. *loco citato commentum, nimirum habuiſſe* Petrum *Apoſtolos in fide confirmandi poteſtatem, modum & locum præſcribendi ad fungendum miniſterio, praxis ipſa ſatis refellit. in ſynoda prima* Act. 1. *cum ſors ſuper* Matthiam *cecidiſſet, num illi* Petrus *juriſdictionem contulit? num præſtolatus dum pallium à* Petro *acciperet? minime vero, ſed communibus calculis electus eſt cum undecim Apoſtolis.* Act. 1. 26.

10. *Quis ſecundam ſynodum convocavit? an ſolus* Petrus? *certè ſacra oracula* Act. 6. 2. *id duodecim attribuunt. quis rem in ſynodo propoſuit? non ſolus* Petrus *ſed duodecim* ver. 2. *quis Diaconos elegit? tota multitudo* v. 5. *quis electis manus impoſuit non* Petrus *ſed Apoſtoli,* verſu 6.

11. *In tertia ſynodo* Hieroſolymitana *num promulgata conſilii acta ſolius* Petri *autoritate? minime vero ſed omnium nomine miſſa*

ne miſſa ſynodali Epiſtola non ſubſcribente Petro, *ego* Petrus CHRISTI *Vicarius, ſed omnibus* Act. 15. 28. *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis. ubi nunc tandem illa Petri excellens & ſupereminens poteſtas? quam ſi exercere unquam voluit hic locus, hoc tempus, hic cœtus maxime opportunus. hæc & hujus generis alia, quiſquis æque eſtimaverit, comperiet* Petrum *nec hujuſmodi dictaturam unquam arrogaſſe, aut alios ei cum prorſus ejuſdem ſtationis eſſent imperium detuliſſe, aut à ſummo rege datum meminiſſe.*

12. *Vltimum effugium* Bellarmini l. 1. de Rom. pont. c. 11. *nimirum in* Petro *poteſtatem ſummam cum ſucceſſione fuiſſe in aliis ſummam fuiſſe ſed abſque ſucceſſione pari facilitate rejicitur: hinc enim ſequetur tempore Apoſtolorum in Eccleſia nullam fuiſſe Monarchiam, nam quicquid ſit de iſta ſucceſſione, ſi Apoſtoli omnes* Petro *in poteſtate pares fuerant, certe ſubditi eidem non erant.*

13. *Qua demum ratione erat* Petrus *Eccleſiæ Paſtor ordinarius? an qua Apoſtolus? ergo etiam & reliqui Apoſtoli id fuere, an ratione alterius cujuſquam poteſtatis? hæc rurſus aut Major erat Apoſtolatu aut minor, ſi minor, quomodo potuit ſupra Apoſtolos evehere? Major eſſe non potuit cum Apoſtolica ſit prima, ſuprema, pleniſſima.*

14. Nec CHRISTI *præceptum* paſce Oves meas Ioan. 21. *hos pontificiorum commentum ſtabilit, cæteris enim Apoſtolis non minus commiſſa eſt* CHRISTI *Ovium paſtura adeoq; non minus hoc nomine eorum privilegia quibus* B. Petrum *æquabant, erant ad poſteros tranſmittenda.*

15. *Apoſtolos omnes univerſalis Eccleſiæ Paſtores fuiſſe liquet; quandoquidem ipſo* Bellarmino *Judice, non minor omnibus poteſtas tradita* Ioan. 21. *ſicut miſit me pater, &c. quam quæ paſcendi verbo quantacunque ea demum ſit comprehenditur, nec minus alios Apoſtolos quam* Petrum *oportebat doctrina ſalutari, vita ex-*

ta exemplari, ſubſidio corporali, regulari diſciplina, ut loquitur Occamus, CHRISTI gregem paſcere.

16. *Denique cum aiunt ampliſſimam poteſtatem cum ſucceſſione junctam* Petro *qua paſtor erat conveniſſe, quæro an ei abſolute qua paſtor conveniat? & ſic omni paſtori idem competeret, vel qua talis paſtor, qui* CHRISTI *gregem paſturus erat pura doctrina ab omni prorſus erroris labe immuni, eandem miraculis confirmaturus, & viſibilia S. Sancti dona manuum impoſitione daturus: at ipſis fatentibus talem paſtorem non niſi Eccleſiæ naſcentis primordia requirunt.*

17. *Fruſtra* Turrecremata *in eo quod præſentibus aliis Apoſtolis ſoli* Petro CHRISTVS *curam gregis committit primatum latere arbitratur: id enim principatum autoritativum* Petri *non arguit, ſed vel ob unitatem collegii Apoſtolici factum, vel ut placet* Auguſtino, *quia* Petrus *erat typus & figura omnium paſtorum, totamq; Eccleſiam repræſentabat, vel quod eidem* Petro *quaſi ſatisfactionē injungeret erroris trinæ negationis, moneretq; ne ſe rurſum abnegaret.*

18. *Promiſſio* CHRISTI Matth. 16. 18. *primatui huic quicquid jactitent* Pontificii *non patrocinatur. Eſto hic per* Petram *nec* CHRISTVM *nec* Petri *confeſſionem cum doctiſſimis & ſanctiſſimis patrum intelligamus, ſed ipſum* Petrum, *hinc tamen minime infertur rectorem & paſtorem ordinarium totius Eccleſiæ* Petrum *conſtitutum eſſe, cum nulla fundamenti ratio in* Petro *poſſit excogitari, quæ ſit ipſius propria nec reliquis Apoſtolis communis: ædificatio enim Eccleſiæ eſt hominum converſio, primarium fundamentum* CHRISTVS, *proximi lapides fundamentales ſuper hoc vivæ* Petræ *ſolo immediate inhærentes ſunt omnes Apoſtoli, qui primi à* CHRISTO *inſtructi in fide facti ſunt fundamentum fidelibus qui eorum prædicationi credendo in Eccleſiæ ædificium ſunt ingreſſi, quod cum Sacris literis ad* Epheſios 2. 20. Apoc. 21. 14. *agnoſcit* Bellarminus l. 1. de Rom. pont. c. 11.

19. *Quod vero ibidem addit* Bellarminus *cæteros Apoſtolos ſummam poteſtatem habuiſſe ut legatos,* Petrum *ut paſtorem ordinarium petitio eſt principii: quærenti enim unde habeant* Petrum *ſolum eſſe caput & ordinarium Eccleſiæ gubernatorem reſpondent quia ei coram aliis dictum ſuper hanc* Petram, *&c. Ecce ergo* Petrus *iis caput eſt, quia fundamentum. rurſus quærentibus, cur* Petrum *faciant ſingulare fundamentum, quod alii Apoſtoli non fuerunt? reſpondent, quia erat paſtor ordinarius, ecce ergo* Petrus *fundamentum eſt ſingulare quia paſtor & ordinarius gubernator, qui tamen antea ordinarius paſtor dicebatur quia fundamentum. En circulos quibus flectitur & reflectitur errorum propugnator.*

20. *Claves regni cælorum* Petro *promiſſæ, ſuprematum non evincunt, quandoquidem tantundem omnibus Apoſtolis* Matth. 18. 18. *Amen, dico vobis quæcunq; ligaveritis in terra, &c. Dominus pollicetur: eſt enim clavium cæli totalis & adæquatus effectus, ſolvere & ligare, ut recte* Bellarm. lib. 1. de Rom. pont. cap. 12. contra Cajetan. *hæc ſubtilius quam verius diſtinguentem obſervat.*

21. *Ex his omnibus, quod erat demonſtrandum elicitur,* Petro *in Apoſtolos veram non convenisſe Monarchiam, ſed ſoli* CHRISTO, *qui primus & ultimus, α & ω, redemit nos per ſanguinem ſuum ex omni Tribu, & Lingua, & Populo, & Natione, qui Eccleſiæ, vitam, ſenſum, & motum Spiritus ſui efficacia inſpirat.* Sedenti in Throno, & Agno huic ſit Benedictio, & Honor, & Gloria, & Robur in ſecula ſeculorum.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 5 AP 80